



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia Catholica, Hoc Est Christianae Fidei, Qvam Ad
Salvtem Animarvm Aviti Avgvstae Domvs Saxonicae
Principes, Reges, & Imperatores coluerunt, Gloriosa
Confessio**

Cutsemius, Petrus

Coloniae Agrippinae, 1621

De Georgio, Tractvs Lipsensis Domino.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11884

ad paciscedum iuxta conditiones, quas ipse
præscriberet, adegit; Breuiter; nomine, & af-
pectu Vngaris, Gallis, Belgis, Frisijs, &c. ter-
ribilis, & in consilijs, conatibusque expedi-
ta celeritate (rare in Germanis exem-
plum, qui diu tractant, antequam concludūt,
diuque minantur, antequam feriunt, imò sœ-
pe inter feriendū ab iectu abstinent) omnibus
admirabilis, clemētiā interim post victorias,
etiam hostium testimonio commēdatus. Re-
gnum Bohemiæ sibi aliquādo oblatū renuit,
forte sua contētus. Pijssimus tandem Princeps,
summi Pontificis ore laudatus, & Martis, &
Mortis pericula fatis expertus, in secūda con-
tra Frisios rebelles expeditione prope Emb-
dā occubuit d. 12. Septembr. An. 1500.* Fun-
davit paulò ante mortē Ecclesiā Collegiatā S.
Mariæ quæ est Friburgi, consecratā in vigilia
Assumptionis à Iohanne V. Episcopo Misnēsi,
An. 1480. Reliquit tres filios ætate maturos,
Georgium, Henricum, & Fridericum; reli-
quos impuberes extinctos.

* Pet. Al-
bin. in
Chron.
Misn.

DE GEORGIO, TRACTVS LIPSENSIS DOMINO.

ACC Georgius quidē, historia Sleidani ce-
lebris, paternę pietatis, & virtutū æmu-
lus, infenſissimus fuit Lutheri inimicus, mul-
tumq; laborauit pro conseruanda in prouin-
cijs Saxoniae religione Catholica. Fuit aliâs

N 2

etiam

etiam egregius Miles, qui ætate iuuenis à Maximiliano I. Cælare belli Præfectus, quanto ab obitu parentis anno arma contra Frisones rebelles fæliciter gessit. Hunc ita commendat Reusnerus: *Ditiones suās magna cum iustitiæ, clementiæ, & prudentiæ laude rexit in annum usque quadragesimum. Post omnium tandem hæredum mortem mærore, curis, & ætate confessus, An. 1539. XV. Cal. Maij deceſſit Dresdæ, cum magno Pontificiorum dolore.* Et quis huiusmodi Principis obitum non doleret, non lugeret? Henricus verò Georgio fratri defuncto in gubernatione succelsit, pater Mauritijs, qui Caroli V. Cæsarjs auctoritate Electoratum, quo Ioh. Fridericus excidit, impetravit, & Augusti, qui magnus semper Sacramentariorum Caluinistarum hostis, fratri Mauritijs sine prole mascula defuncto in Electorali dignitate succelsit. Henricus autem in prima ætate ductum, atque auspicia patris sui Alberti secutus, egregiæ virtutis specimen edidit in Belgio, & post ætate maturior in sedando tumultu Rustico. Peragrauit etiam cum magno vitæ discrimine Palæstinam, & Gallæciam. Sed fratre Georgio mortuo omnibus viribus cœpit introducere doctrinam Lutheri, quam media nocte Lutherum prius docuit Spiritus tenebrarum; vti ipse tom. 7. pag. 479. edit. VViteberg & to. 7. Ien. fol 82. asserit, & eum apertè suo nomine vocat Diabolum

bolum. Res certè horribilis, malignum illum
Spiritum audire & sequi explicantem Chri-
sti verba, & verborum sensum; quod ipse
prolixè sic denarrat, sine pudore vlloue alio
respectu. Et hæc sunt ita manifesta, & clara,
vt Prædicantium suorum nullus ea negare
possit. Ex promisso sillerem hoc, nisi idem il-
li confiterentur, & palam dicerent.

M. Fridericus Balduinus, Prædicans Lip-
sensis in suo *Hyperaspiste: de se, inquit, scri- * Pag. 92.
psisse Lutherum tom. VViteb.7. fol. 479 & seqq.
& Ienensi tom 6. fol. 82 & seqq. se cum Diabolo
congressum, seu disputasse, auditaque approbasse,
non negatur. Et rursus: Diabolus innocens est,
verum in sua disputatione semper dixit Diabolus,
neque ex se, sed à Spiritu S. cum Beatissimo Patre
nostro Luthero locutus est, &c. Hæc insana,
& detestabilis in Deum blasphemia est, qui
non instruit seruos suos, quos mittere vult
Apostolos, & Doctores ad conuertendum
homines à via perditionis ad viam salutis, per
organum Diabolum. Ipse enim mendax *est, * Ioh. 8.v.
& pater mendacij, neque ille homines docen- 44.
do rectè instruere vult, sed destruere; per-
uertere, non conuertere; perdere, non salua-
re. Et ille Nequam, interprete Balduino, à
Spiritu S. locutus est? Nec pietas, nec ratio il-
la credit.